

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> ACADEMICA,

23

DE

ETYMOLOGIIS CICERONIS,

M<sup>AG</sup>ISTER  
C<sup>U</sup>J<sup>S</sup>  
PARTEM TERTIAM,

Venia Ampl. Facult. Philos. Aboëns.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, & Societt. Qzconn. Imp. Fenn.  
atque Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm.  
Membro,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

publice ventilandam exhibet

JOH. ANTONIUS APPELBERG

Stip. Bilmark. Satac.

In Auditorio Medico die XXII Junii MDCCCX.

H. a. m. c.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO  
MAXIME REVERENDO ATQUE CELEBERRIMO,  
S. S. THEOLOGIÆ AD ACADEMIAM AURAICAM  
PROFESSORI SECUNDO,  
EJUSDEM  
IMP. ACADEMIÆ H. T. RECTORI MAGNIFICO,  
NEC NON  
ORD. IMPER. ROSS. DE S. WOLODIMIRO  
IN QUARTA CLASSE EQUITI,  
DOMINO  
**GUST. GADOLIN,**  
FAUTORI  
SUMMA ANIMI PIETATE COLENDO,  
SACRUM

*voluit, debuit*  
JOH. ANT. APPELBERG,



An ideo minus Messala nitidus, quia quosdam totos  
libellos non verbis modo singulis, sed etiam litteris  
dedit? Non obstant hæ disciplinæ per illas euntibus,  
sed circa illas harentibus.

QUINTILIANUS.

**L**epus. "Subterque pedes, quos diximus ante, Orionis  
iacet levipes lepus." ARAT. Phænom. v. 120 sequ.  
Videtur Latinus Metaphraastes (nam in Græci Poëtæ verbis  
*λευκὸς ἐπιπέδης ἵπατος πάντας διώνεται* non legitur epitheton)  
alludere ad prolatam a L. ÄLIO etymologiam, quam ne-  
que improbat QUINTILIANUS L. I. c. 6 l. 33. Cum autem  
in obliquis casibus τὸς *Lepus* desideretur D littera, quam  
in flectendo constanter servat, ut Græcorum πέδης, ita La-  
tinorum pes; adsentiamur potius VARRONI (de re rust. L.  
III c. 12) qui ab antiquo Λέπος Αἴολον Boetiorum di-  
ctum animal arbitratur. Cfr. Idem de L. L. L. IV. & GEL-  
LIUS L. I. c. 18. nec non J. C. SCALIGER de caussis L. L.  
XII. c. 189.

*Lex a legendo, propter deleffus vim, de Legg.* L. I.  
c. 6 l. 19. VARRO idem sequitur ἔργον, sed quia "lecta  
& ad populum lata, quam observeat." THOMÆ Aquinati  
Scholasticorumque aliis est a ligando, sed adversante, ut  
BECMANNUS monuit, analogia. ERNSTIUS (Cl. p. 1) a Græ-  
co λέγειν dictam putat. SCHELLER, sine idonea causa, ad  
Hebraicum nominis fontem confudit.

E

L.

*Liber* (non Bacchus, sed Plutus) & *Libera* (non Ariadne, ut OVID. Fast. L. III. v. 512, sed Proserpina). "Quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere natu nominati sunt *Liber* & *Libera*: quod in *Libera* servant, in *Libero* non item." de nat. Deor. L. II. c. 24 l. 62. Reliquas, qua partem forte meliores, etymologias taceamus, cum ad Bacchum, indeque ad Ariadnen pertineant. Observet tamen lector haud dissimilem *Liberae* Proserpinae, & *Libitinae* ut sonum ita forte originem.

*Locuples* vocatus ex locorum possessionibus (h. e. a *locus* & *plenus*), fragm. L. II. de Rep. apud NONUM. Antiquis enim temporibus "aut pecus aut latram dives habebat humum." OVID. Fast. L. V. v. 280 Cfr. QUINTILIAN. L. V. c. 10 l. 55. GELLIUS L. X. c. 5. maximeque PLINIUS L. XVIII. c. 3 qui *loci plenos* agri plenos explicat. Nec est quod alia circuinspiciamus. Sic est etiam apud VARRO. M. *ugrosus*.

*Lucina* a *lucendo*, de nat. Deor. L. II. c. 27 l. 68 sq. Eadem enim esse dicitur quae *Luna*; "itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam Φωτόφορην, Φωσφόρην, vid. HEINSIUS ad OVID. Heroid. ep. 20 v. 192) "sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant" ibid. Hinc CATULLUS ad Dianam carm. 35 v. 13 sp. "Tu *Lucina* dolentibus *Juno* dicti puerperis"; quemadmodum apud Græcos Εἰλειθύια, Εἰλειθυία aut Εἰλευθώ (mystico nomine, ut ait, ad HORAT. Carm. saecul. v. 14, vetus Scholiastes) iam ipsa Diana, iam Junonis saltem filia aut potius filiae, nam plures Ilithyias HOMERUS memorat Iliad. XI. 270. — Ad Dianam vero, quatenus Luna est, si *Lucinæ* nomen retuleris, ipsa lucere satis proprie dicitur, non ita, si ad Junonem; quare utriusque vim conjunxit,

rit, qui, praeunte Ovidio Fast. L. III. v. 255, Lucinam  
credat appellatam quod lucem nobis (recens natis) dederit,  
fœtusque jusserit in lucem prodire. — Qui a *luco* Juno-  
ni in Esquiliis Romæ sacro *Lucinæ* nomen deducunt,  
minus commode philosophantur.

*Luna, a lucendo, ut mox dictum. Conferri etiam pot-  
est de Nat. Deor. L. II. c. 46 f. 119.*

*Mavors & contracte Mārs*, "qui magna verteret" de-  
nt Deor. L. II. c. 26 f. 67. L. III. c. 24 f. 62. Judicent  
alii, quid prætent ab *Aegypti* vel *ægypti* (præmisso *M*) vel a  
*maribus*, quibus in bello præslet Deus, vel optima for-  
te) a *Mamerte* Sabinorum Oscorumque, derivationes:  
qua si admittantur, Mavors dictus putabitur, ut voluit  
SERVIUS ad Georg. I. v. 137, per epenthesin.

*Mensis Lunæ cursus*, "quia mensa spatiæ conficiunt,  
mensæ nominantur" de nat. Deor. L. II. c. 27 f. 69. Sed  
melius erit cum VARRONE & MACRÖBIO a Græcorum μῆνι  
vel potius μῆνε, deducere.

*Minerva dicta*, "qua vel minueret vel minaretur" de  
nat. Deor. L. II. c. 26 f. 67. L. III. c. 24 f. 62. Videtur  
vero illud sive minuendi sive minandi munus belli cla-  
des reipicere, ab armipotente Dea vel immisas vel im-  
mittendas Placet aliis a *memoria* (quasi *Meminerva*), a  
*monere* quod archaice *menere*, *menervare*, *promenervare*),  
a Græco μένειος, & sic porro, repetere nominis rationem,  
e quibus, quod volupte fuerit, quisque eligat. Non cen-  
sebuntur quidem inepta, qua infestam Dex, prima Ro-  
manorum ætate alii vix rei quam bellis præesse justæ,  
vix exprimunt; sed quoniam ad bellicam gloriam acces-

sit postea benefica ingenii, litterarum, arctumque laus, ita  
commodi habet etymon a *μένος*, quod utriusque rei sug-  
gerat notionem.

*Moneta*. "Scriptum a multis est, cum terrae motus  
factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab  
aede Junonis ex arce exstisit: quocirca Junonem illam  
appellatam Monetam; a qua" tamen "praterquam de sue  
plena, quid unquam moniti sumus?" de Divinat. L. I.  
c. 45 l. 101. L. II. c. 32 l. 69. Est igitur a monendo. Ali-  
ter rem narrant OVIDIUS, Fast. L. VI. v. 183 sqq. PLU-  
TARCHUS in Camillo c. 61, & SUIDAS in voce *Μονήτρα*; sed  
plura Romæ fuisse Junonis Monetæ templa, docet LIVIUS,  
nam, præter Furium Camilium Dictatorem (anno  
urbis 410) L. VII. c. 28, etiam C. Cicerejus prætor anno  
Romæ 579 ædem huic Deæ voverat L. XII. c. 7.

*Monsitra* dicuntur "quia monstrant" de Divinat. L. I.  
c. 42 l. 93. de Nat. Deor. L. II. c. 3 l. 7. A monendo di-  
cta fuisse malunt LÆTIUS STILO & FESTUS, non repu-  
gnante analogia. Sed communem esse nominis & verbī  
fontem, quis non videt?

*Morosus* & *moribus*: asperis scilicet & difficilibus. "Be-  
ne nostri, cum omnia e sent in *moribus* vitia, quod  
nullum erat iracundiae scelus, irascundos solos, *morosos*  
"nominaverunt." Tusc Quæst. L. IV. c. 24 l. 54 SCHLE-  
LERO (præcept. stili bene latini p. 83 & 89) *morosus* est,  
qui nimis *morem* suum sequitur, ut quondam DONATO,  
qui fui cuiusdam *moris* (*Idiotropos*); sed ille *morem* hoc  
sentu interpretatus germanice *Eigenfuss*, significationem  
intulit Lexicis ignotam, nec Classicorum auctoritate fir-  
matam. — Aliam, idem novam, sed minus commo-  
dam,

dam, etymologiam, a *mora* puta aut *morando*, ipse minoris facit.

*Natio Dea.* Huic, "cum fana circuimus in agro Ar-deati, tem divinam facere solemus: quæ, quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est." de nat. Deor. L. III. c. 18 l. 47.

*Neptunis:* "nomen productum a *nando*, paullum pri-mis litteris immutatis", de nat. Deor. L. II. c. 26 l. 66. Rejicit postea ipse CICERO valde duram, sed ex vulgata forte opinione admissam, etymologiam, his verbis: "quo-niam Neptunum a nando appellatum putas, nullum e-rit nomen, quod non possis una littera explicare, unde ductum sit." ibid. L. III. c. 24 l. 62. Hinc a *nubendo* (tegendo, operientio) repetit VARRO "quod mare terras obnubit, ut nubes cœlum", quocum facit ARNOBIUS; a Græco *vñtrw* SCALIGER pater; a Tuscorum sermone filius; aliunde alii.

*Nequitia:* "contrarium frugalitati vitium, ab eo quod nec quidquam est in tali homine, ex quo idem nihil dicitur." Tuse Quæst. L. III. c. 8 l. 18. Coactum scilicet esse ex ne & quidquam, exirita media syllaba, placuit etiam VARRONI. De hujus vero etymologiæ pretio, post ipsius CICERONIS judicium ("erit fortasse durius: sed tentemus: plassisce putemus si nil sit") statuere supervacuum est. Excusationem habebit Noster, propter FESTUM, argutius etiam Iudicem, & reliquarum quoque originationum difficultates.

*Occatio nominata* ex *occæcato* semine sparso Cat. maj. c. 15 l. 31. Etymologiam, quæ & A. SEPTIMII SERENI fuit (in fragmento apud NONIUM), venustissimam judicat FE-STUS,

STUS, spreta Varroniana & Verriana, quæ est ab occiden-  
do i. e. comminuendo. Hebraæam BREMANNI & Vos II ni-  
mis longe petitam esse, quis non videat?

*Omnivaga:* Dianæ epitheton "non a venando, sed quod  
"in septem numeratur tamquam vagantibus" de nat. Deor.  
L. II. c. 27 f. 68. Syzygiæ propior est hæc etymologia,  
quia neque illi, quos h. l. oppugnat CICERO, potuerunt a  
vagando non derivare nominis rationem; cum vero hi ad  
venatricem Deam, ad Lunam ille referret istud vagatio-  
nis negotium, in accommodando etymo major justo erat  
sententiarum diversitas.

*Oppidum.* "Oppidorum originem optime refert CI-  
"CERO L. I. de Gloria, eamque appellationem usurpatione  
"appellatam esse existimat, quod *opem darent*: adjiciens,  
"ut imitetur inéptias Stoicorum." FESTUS L. XIII. Ni-  
mis doctissim, ut putat, conjecturam, cum propria fere in-  
docta (a Germanico Hof, *Geböfde*) commutavit SCH. LL. R.  
Esse tamen vocem ab *opibus*, sed propterea forte, quod  
in oppida confluant, indicare videtur adverbium *oppido*.

*Pecuniosi* vocabantur "quod tunc (olim) erat res in  
"pecore" fragm. L. II. de Republ. apud NONIUM. Etymo-  
logia, OVIDII (Fast. L. V. v. 280 (q.)), PLINII (L. XVIII c. 3),  
VARRONIS (de Re Rust. L. II c. 1.) & omnium fere con-  
sensu ipsaque historia firmata. Etiam in Holstia pecori-  
bus potissimum adhæsisse divitiarum (*Gut*) appellationem,  
auctor est Voss, Mythologische Briefe 1: r Band p. 105.  
Hinc latiori appellatione pro quibusvis etiam immobili-  
bus bonis sumitur *pecunia*, Orat. pro Rose Amer. c. 2  
f. 6. Hinc et pecorum nota quondam signatum perhibet  
PLINIUS L. XXXIII. c. 3. cuius tamen narrationis fidem  
ar-

argumentis haud levibus impugnat ECKHEL Doctrina nūmori veterum P. I. Vol. I. Proleg. p. II. Vol. V p. 10. salvam tamen relinquens etymologiam, quia omnino pecunia in pecoris locū quasi succedit. Cfr. LIVIUS L. XXIX. c. 31. MACROB. Sat. L I. c. 7.

*Penates* dii "sive a penū ducto nomine (est enim oīmne, quo vescuntur homines, penus), sive ab eo quod "penitus insident, ex quo etiam penetrales a poëtis va- "cantur" de nat. Deor. L. II. c. 27 f. 68. Varias jam oīlim obtinuisse derivationes, docet DIONYSIUS Halicarnas- seus L. I. c. 67, Græcis vario modo significationem red- dere conantibus, appellantibusque aliis πατεράς, aliis γέ- νεθλίς, quibusdam κτηνίας, quibusdam μυχίς, nonnul- lis ēquies.

*Petulantia* a petendo, fragm. L. IV. de Republ. apud NONIUM. Pudori oppositam videoas Orat. II. in Catil. c. 11 f. 25. Participialiter vocis originem suspicatur SCHELLERUS, a frequentativo, nescio quo, petulo, quod itidem esset a petendo, sed cuius usum, si vel obsoletum, nulla loquuntur monumenta.

*Portenta*, "quia portendunt, dicuntur, sicut *Ostenta*, quia ostendunt", de Divinat. L. I. c. 42 f. 93. de nat. Deor. L. II. c. 3 f. 7. Ostenti originatio, ut a nemine im- pugnata, ad σύγγνωμα exempla relata jam est; Portentum autem, cuius tamen manifeste eadem est ratio, non a por- tendendo solum, sed simul ab apportando profluxisse ra- tus est Nonius, hybridam, ut loquuntur, temere commi- niscens ejusdem vocabuli, compositi quidem, sed a radi- ce æque composita jam repetiti, originem.

*Portunus*, qui Palæmon Græcis, Deus, cui in portus  
jus

jus erat, OVID. Fast. L. VI. v. 546 sq. Hinc nominis causa-  
ia a portu, de nat. Deor. L. II. c. 26 l. 66. Sed FETE,  
aliam secuto etymologiam, Portunus s. Portumnus Deus  
est portarum, & clavim manu tenere fictus narratur; cui  
originationum pugnæ solvendæ idonea vix censembitur  
HEYNII (ad VIRG. Aeneid. L. V. v. 241) Sulpicio, pro clæ-  
vum legendum esse clavum.

*Postliminium.* "SCAEVOLA P. F. junctum putat esse ver-  
bum, ut sit in eo & post & limen: ut, quæ a nobis a-  
lienata sunt, cum ad hostem pervenerint, & ex suo tan-  
quam limine exierint, dein cum redierint post ad idem  
limen, postliminio videantur rediisse." Topic. c. 8 l. 37.  
Mireris CICERONIS jam ævo adeo incertum fuisse vocis ety-  
mon, ut SERVIUS (CLAUDIUS forte aut SULP.C US) 'nihil puta-  
'verit esse notandum, nisi post, & liminium illud produc-  
'nem esse verbi voluerit, ut in finitimo, legitimo, æditimo,  
'non plus esse timum, quam in meditullio tullium.' Ibid l. 36.

*Prætor* "a præeundo appellator" de Legg. L. II. c. 3  
l. 8. Est igitur quasi prætor (elisa littera i), utpote qui  
præiret jure & exercitu (VARRO). "Veteres enim omnena  
magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appella-  
verunt." ASCONIUS PEDIANUS ad Actionis in Verrem L. I.  
c. 14 l. 36. Hinc Prætor maximus, qui alias Dictator,  
LIV. L. VII c. 3: — A præses qui dictos prætores putant,  
nomine aliquantum, significatione parum, a Nostri ab-  
ludunt ratione.

*Primigenia Fortuna*, "a gignendo" h. e. a. natali die,  
de Legg. L. II. c. 11 l. 28.

*Privilegium lex* est in privos homines lata, de Legg.  
L. III. c. 19 l. 48. pro Dom. c. 17 l. 43. Utrobique ob-  
scarius

scurius propositam etymologiam hoc loco omissemus; nisi placuissest antiquam revocare vocabuli vim &, Horatiana etiam auctoritate (Serm. L. II. sat. 5 v. 11), *privum* per solum, *unicum*, *singulare*, exponere.

*Procacitas* "a procando nominata est", fragm. L. IV. de Republ. apud NONIUM. Cur a *procendo* repetere maiuerit Vossius, vix liquet.

*Prodigia* dicuntur "quia *praedicunt*" de Divinat. L. I. c. 42 f. 93, de nat. Deor. L. II. c. 3 f. 7. At magis se probavit SCALIGERO patri, Vossio, aliis, Noniana etymologia a *porro adigendo* s. *prodigendo* & *averruncando*.

*Prudens*, *Prudentia* a *providendo* s. *prospiciendo* futura, de Divinat. L. I. c. 49 f. 111, de Legg. L. I. c. 23 f. 60 fragm. L. VI de Rep. apud NONIUM, fragm. Libri de Philosophia apud AUGUSTINUM Hanc enim virtutem, quam rerum expetendarum fugiendarumque scientiam, de Offic. L. I. c. 43 f. 153, definit Noster, non sola memoria & intelligentia contineri, sed etiam providentiam (futurorum prudentiam Cat. maj. c. 21 f. 78) includere monet idem, fragm. alio Libri de Philos. item apud Hipponeensem servato, nec minus de Off. L. II. c. 9 f. 33, sere ut TERENTIUS Adelph. III. 3 33 lqq. Animum nempe, quem, ex Pythagorea disciplina, e divinitate haustum libatumque assunxit CICERO, futura quadantenus videre non semel docet. Ad Græcum fontem τὸ φράγμα ut cum SCALIGERO recurramus, non est necesse,

*Publicus* a *populo*: "est enim *Respublica res populi*", fragm. L. III. de Republ. apud AUGUSTINUM. Confirmat idoneam valde etymologiam celebre P. VALERII *Publio* s. *Poplicolæ cognomen*.

*Religio ex relegendo.* Nam "qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinenter, diligenter retractarent & tamquam relegerent, sunt dicti religiosi" de nat. Deor. L II. c. 28 f. 72. Est autem, ex mente Nostri, Religio, quatenus ad Numina refertur, Deorum cultus pius, qui in metu, cura & cærimonia ipsorum sit, ibid. L. I. c. 42 f. 117, de Invent. L II. c. 22 f. 66, c. 53 f. 161, unde alii curam, alii metum, potissimum cogitatunt. Prior certe fuit mens, rudes atque incultos & potentia Numinis perterritos ante, quam sapientiam miratos aut clementia commotos, homines facile invadens (Cfr. VIRG. L. Æneid. L VII v. 60. L. VIII v. 349 sq): quare ipsi τῷ relegere mētuendi significationem, sed nulla auctoritate firmatam, affixxit SCHELLERUS. Quamcunque autem primam assumptoris rudioris religionis formam, melior jure suo reputabitur Ciceroniana etymologia, quam LACTANTII a religando, quia hoc pietatis vinculo religati Deo simus, aut MSSURII SABINI a relinquendo, quoniam quod sanctum, remotum quoque ac depositum a nobis sit.

*Respublica: vide Publicus.*

*Reus, cuius de re disceptatur, de Orat. L. II. c. 43 f. 183.*

*Saga, Sagax, Præfigire a fugiendo, quod est "senire acutæ" de Divinat L I c. 31 f. 65. Græca SCALGERI patris etymologia (a σωγών vel σωγύς) carere facile possumus.*

*Saturnus* "est appellatus, quod saturetur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus; quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur" de nat. Deor. L II. c. 25 f. 64. L III. c. 24 f. 62. Patuisset, vel non monente Nostro, respici ad

Xεόντος (Κέόντος) Græcorum, cum Saturno, agresti prisconum Latinorum nomine, postea ita commutatum, ut rusticæ, quam hic gestabat, falx ea esse putaretur, qua Κέόντος patri Urano exsecuisset virilia, tandemque Temporis, rerum omnium edacis, constitueret symbolum. Cfr. Voss ad Georg. VIRGIL. L. II. v. 173. 406). Reliquas non paucas etymologias: VARRONIS a *satu*, quod coelum principium rerum, cum qua congruit nova Cl̄imi DENINA a Gothica voce *Ur* & *Sator*, quasi Satorem dicas æternum, SCALGERI filii a *latendo* (לְתַדּוֹן), ad quam cfr. VIRGIL. Æneid L. VIII. v. 322 sq. Ovid. Fast. L. I. v. 238, aliorum a σαρδην &c, utpote omnes æque incertas, expendere nolumus.

*Seditio* "dicitur dissensio civium, quod seorsum eunt  
"alii ad alios" fragm. L. VI. de Rep. apud Nonium.

Senatores, Senatus, a senili Senatorum ætate, Cat. maj. c. 6 f. 19 sq. e. 16 f. 56. Hinc ijdem Lacedæmonie Γέγοντες dicti. Appellationis originem confirmant OVIDIUS Fast. L. V. v. 64 & QUINTILIANUS L. I. c. 6 f. 33.

*Sol* "dictus, vel quia *solus* ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus *solus* apparet" de nat. Deor. L. II. c. 27 f. 68. L. III. c. 21 f. 54. Verius forte, quod ita Sabini, ut apud Varronem legitur.

*Solistimum*, vide in *Tripudium*.

*Suculæ*, vide in *Hyades*.

*Supersticio*. "Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui sibi liberi *superstites* esent, *superstitiosi* sunt appellati: quod nomen postea latius patuit", ut eset "timor

"mor inanis Deorum" de nat. Deor. L. II. c. 28 f. 72.  
 L. I. c. 42 f. 117. At recte mosuit LACTANTIUS, neminem esse, qui non optet, ut sibi supervivant nati: nec tamen multo felicius originem vocis sic explicans, ut superstitioni dicerentur, aut qui *superstitem* memoriam defunctorum colerent, aut qui, parentibus *superstites*, colerent imagines eorum domi, tamquam Deos penates. Inter plures vero etymologias, Servianam puta utramque, ab aniculorum multis *superstitium* more, aut a *superstantium* rerum formidine, Nonianam a *supercedendo*, i. e. negligendo cetera omnia, Schellerianam a longæ aliisque *superstitis* vita desiderio, & quæ sunt reliquæ, commodissima forte judicabitur Vossiana a *superstando*, quia in superstitione cultus Numinum modum rectum *superstat* atque excedit.

*Torquatus* (T. Manlius L. F.) "ex Galli apud Aniem spoliis sibi & torquem & cognomen induit" de Fin. L. II. c. 22 f. 73. cfr. L. I. c. 7 f. 23. c. 10 f. 35, de Off. L. III. c. 31 f. 112. Liv. E. VII. c. 10. OVID. Fast. L. I. v. 601.

*Tripodium*. Pulli in cavea ad auspicia allati "cum pascuntur, quia necesse aliquid ex ore cadere & terram pavire, terrapavium primo, post terripodium dictum est: hoc quidem jam tripodium dicitur" de nat. Deor. L. II. c. 34 f. 72. "Quod autem scriptum habetis tripodium fieri, si ex offa objecta quid in solum ceciderit: hoc quoque, quod dixi, coactum, tripodium solistimum dicitis" ibid. L. I. c. 15 f. 28. Originationem, quæ TURNEBO placuit, a ter pede (ferire, percutere terram) HORAT. L. III. od. 18 v. 16, in medio relinquimus.

*Tumultus a timore multo.* "Quid est enim tumultus,

"tus, nisi perturbatio tanta, ut major *timor* oriatur? unde etiam nomen ductum est *tumultus*", Orat Philipp. VIII. c. 1 f. 3. Repetiit hæc verba QUINTILIANUS L. VII. c. 3 f. 25. Longius petita eorum videtur ratio, qui cum JANO DOUSA & Voss o legendum putant *tumor* non *timor*, atque ad copulatas VIRGILII (Georg. L. I. v. 464 sq.) genes: *instare tumultus, tumescere bella*, provocantes, a *tumendo* repetunt nomen, cuius primo loco allatam (a *timore* multo) etymologiam suam fecit etiam DONATUS ad VIRG. L. Aeneid. L. VIII. v. 4.

*Venus*: "Dea, quæ ad res omnes *veniret*", atque "ex ea potius *Venustas*, quam Venus ex *venustate*" de nat. Deor. L. II. c. 27 f. 69. L. III. c. 24 f. 62. De origine tantum non omnes consentiunt, sed aliam atque aliam cogitant *veniendi* significationem.

*Vesta*: vid. in 'Eslæ.

*Vica pota, Vicepotæ*, cuius, narrante LIVIO L. II. c. 7, Romæ fuit ædes, ipsa fuisse videtur Victoria, cognomenque a *vincendo* atque *potiundo* nacta, de Legg. L. II. c. 11 f. 28.

*Virtus* "ex *viro* appellata est: *viri autem propria maxime* est fortitudo, cuius munera duo sunt maxima, "mortis dolorisque contemcio" Tusc. Quæst. L. II. c. 18 f. 43. L. III. c. 8 f. 25. Spectant hæc loca in primis antiquiore vocis significationem, cui successit alia, ea nimurum, qua virtus 'nihil sit aliud, quam in se perfecta' & ad summum perducta natura; igiturque homini cum "Deo similitudo" de Legg. L. I. c. 8 f. 25. Cœperunt etiam nomine abuti, & de arboris equique virtute loqui, *ibid.*

*ibid.* c. 16 f. 45. Salvam tamen fore etymologiam, motu non est opus.

*Vitium, Vituperabile.* "Quod vituperabile est per se ipsilum, id eo ipso vitium nominatum, vel etiam a *vicio dictum vituperari*" de Finib. L III. c. 12 f. 40. Posteriorem sententiam veriorem judicavit DONATUS, vituperare explicans per *vitium parare*, i. e. labem adsparge-re; unde & *vitium* vel a *vi*, vel a *vitando* dictum vulgo creditur.